

Observationes et meditationes quaedam practico-anatomicae circa opus generationis in foeminis ... / [Herkules David Hennenhofer].

Contributors

Hennenhofer, Herkules David, active 1719-1721.
Hilscher, Simon Paul, 1682-1748.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Hellerianis, [1719]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/amta3jk7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

L. D. B. V.

OBSERVATIONES ET MEDITATIONES

QVAEDAM
PRACTICO - ANATOMICAE
CIRCA

OPVS
GENERATIONIS
IN FOEMINIS

IN DISSERTATIONE PVBLICA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE VVESTPHALIAE ET RELIQVA

PRAESIDE

SIMONE PAVLO HILSCHERO

DOCTORE MEDICO ET PRACTICO IENENSI

FAVTORE ET PRAECEPTORE SVO VENERANDO

PVBLICO PHILIATRORVM EXAMINI

SVBMITTVNTVR

AD DIEM FEBRVARII ANNO *MDCCXIX.*

A RESPONDENTE

HERCVLE DAVIDE HENNENHOFERO

VLMENSI.

JENAE, LITTERIS HELLERIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF CHEMISTRY
LABORATORY OF ORGANIC CHEMISTRY
CHICAGO, ILLINOIS
EXAMINATION OF THE EXAMINER
BY THE EXAMINER
THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF CHEMISTRY
LABORATORY OF ORGANIC CHEMISTRY
CHICAGO, ILLINOIS
EXAMINATION OF THE EXAMINER
BY THE EXAMINER
THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF CHEMISTRY
LABORATORY OF ORGANIC CHEMISTRY
CHICAGO, ILLINOIS
EXAMINATION OF THE EXAMINER
BY THE EXAMINER



OBSERVATIONES ET MEDITATIONES
QVAEDAM
PRACTICO - ANATOMICAE
CIRCA
OPVS GENERATIONIS
IN FOEMINIS.

§. I.



In nullo in tota œconomia animali negotium multis adhuc difficultatibus, dubiisque involutum est, erit sane negotium generationis & parte maxime foeminarum, sive conceptionem, sive formationem nutritionemque foetus, sive denique ipsum partum, & quæ ad harum actionum signa, variaque phenomena attinent, spectes. Operam igitur nostram non male collocaturos nos esse confidimus, si observationes & meditationes quasdam, quas nobis circa generationis in foeminis negotium tum praxis medica, tum dissectio partium genitalium foemellarum, tam in hominibus, quam brutis, ipsorumque

que foetuum apertio cultro anatomico peperit, eum in finem proponamus, ut vel hucusque nota magis confirmentur, nova quaedam examinentur, vel quoque addantur, aliorumque placido examini tradantur.

§. II. Convertit autem primo loco ad se meditationes nostras *cognitio gravidatis*. Quam ardua enim hæc in foro medico res sit, vel ex eo patet, quod non solum medicorum, sed & parentum atque familiae, imo interdum ipsius reipublicæ, intersit, tempestive ac certo scire, an foemina utero gerat, nec ne? quo hujus spes omni modo defendi queat. Accurata hujus momenti pensatio sanitatis morborumque artifices impulit, ut de signis graviditatis in scholis suis maxime essent solliciti, eademque ad normam diagnoseos, tum sanitatis, tum morborum, è consuetis signorum fontibus, essentialiter nempe inhærentibus, essentialiter consequentibus, causis, & similitudine desumerent. Ad essentialiter quasi inhærentium classem merito retulerunt 1.) mensium emanationem in sanis, justæque ætatis foeminis, 2.) incrementum abdominis debitum, atque 3.) motum ipsius foetus. Quæ tria vero hæc signa certo ordine se invicem consequi debent, sibi que proportionatim respondere, ac relationem ad se invicem habere, peregrine ita judicante *Illustri & venerabili Academia nostræ Seniore WEDELIO, in dissertatione de notis gravidarum*. Licet enim, quod mensium emanationem attinet, eadem non semper conceptionem factam sequatur, dum scilicet quandoque primis mensibus fluxus hic, pariori quamvis quantitate, continuat, & interdum ad tempus usque gestationis medium: interdum etiam per aliquot mensium spatium desinit, & de novo conspiciendum se sistit, salvo nihilominus manente foetu, testantibus id observationibus. Ejusmodi tamen casus extraordinarii sunt, & per consequens regulam ordinariam: quod

quod mensium emanatio in ianis, & convetudine viri, bene se habentis, utentibus foeminis, graviditatis sit index, minus invertunt. Ad signa vero essentialiter consequentia spectant ea, quæ vel menses retentos, & inde immutatam Mam Seam, quoad quantitatem, qualitatem, & motum, vel ipsum incrementum abdominis, & in hoc latentis uteri excipiunt, & ab iisdem dependent. Ut itaque historia & ordo signorum graviditatis, tam essentialium, quam essentialiter consequentium, & reliquorum, secum invicem sociatorum, sequenti potissimum ratione vulgo tradatur.

§. III. Foemina corpore vegeto iustaque ætate pollens post coitum cum mare, ad generandum habili, præter morem delectantem, eodem die, & sequente, uno alteroque horrore, nec non dolore tolerabili, circa lumbos, & in hypogastrio, corripitur, postea accedunt nausea ciborum, imprimis carniū, coctarum assatarumque, vomitiones, δυσ-αγέσθησις, atque morositas quædam, quandoque adversus ipsum maritum, venerem concupiscentem, anxietates tum à cibo, quousque rejiciatur rursus, tum à vestitu arctiori, & aliàs; quandoque caligines oculorum, & imminens lipothymia, tributi lunaris emanatio, mutatio coloris faciei, & ephelidum, s. macularum in eadem eruptio, jam suo tempore *optimo artis nostræ parenti HIPPOCRATI* cognitæ, teste *libr. de sterilitate c. 6. text. 9.* dentium dolor non raro. Mense altero tertioque tumor ventris observatur circa regionem hypogastricam, & umbilicum, qui sensim etiam versus lumbos exporrigitur, occurritque non raro in mollioris animi, minusque firmati iudicii foeminis, appetitus incongruorum, ratione temporis & quantitatis imprimis. Medio mensis quinti fit perceptio motus foetus debilis, micantis, & quasi pulli gallinæ, grana colligentis, hinc fortioris & subsultantis, qui ultimis mensibus volutanti similis fit, ut modo ulna, modo genu, modo caput

ventri non admodum obeso admota manu tangi queant. Interea mammæ cum tensione quadam factæ sunt turgidulæ, arri-
guntur gliscuntq; papillæ, & compressæ lacteum quid fundunt,
fiuntque admodum sæpe varices in pedibus, h. e. nodi &
crispaturæ venarum, unde Germanis *Kindes = Adern* di-
cuntur.

§. IV. Perbene vero doctis prudentibusque medicis no-
tum est, quod cuncta jam recensita è conceptione gravidita-
tis signa raro in uno eodemque subjecto accurate spectentur;
quin sæpe numero in robustioribus paucissima è consequen-
tibus adsint, aut minus æstimentur: in valetudinariis autem
cum hysteriis, hypochondriacisque symptomatibus ita com-
plicentur, ut sæpe primiparas non solum foeminas, sed & has,
quæ jam aliquoties peperere, ad quintum mensem, & perce-
ptionem motus foetus manifesti suspensas teneant, uti iisdem
fere verbis exposuit *Magnificus atque celeberrimus SLEVOG-
TIVS dissert. de partus naturalis cum præternaturali collatio-
ne §. 12.*

§. V. Quam vere & sapienter hæc ipsa à Viro laudatis-
simo sint pronunciata, quotidiana praxis satis superque testa-
tur. Quot enim quæso dantur foeminæ, quæ adeo sagaces,
teneræque & sensibilis texturæ sunt, ut leviculum istum hypo-
gastrii lumborumque dolorem, vel etiam horrorem, semel
vel bis primis diebus invadentem, percipiant, aut adeo ad eun-
dem attendant, ut accurate vel maritos, vel medicos de his
phanomenis certiores reddere queant? Neque perceptio de-
lectationis, præter morem in coitu insignis, admodum proba-
bile conceptionis fientis signum præbet: cum quædam foe-
minæ sæpius tali oblectatione in coitu fruuntur, neque
tamen concipiant: aliæ vero vel nulla, vel levi, inter
mariti amplexus afficiantur, singulis tamen annis utero gerant,
sicuti

sicuti CORNELIVS SOLINGEN, *Tract. de officio obstetricum cap. 1. p. m. 590.* recenset, se novisse foeminas, quæ ingenue sibi sint confessæ, se nunquam in coitu voluptate per-
fusas fuisse, nihilominus tamen quotannis concepisse.

§. VI. Cum igitur initium graviditatis prime mense accurate & certo dignoscere, ardua res sit, eo magis ad omnia phaenomena in subjectis foemineis, de quibus conceptionis aliqua suspicio est, attendendum censemus. Observavimus vero duodecim abhinc annis in aliquot, quæ concepere, foeminis *frequentiore solito ad urinam reddendam stimulum*, & in quibusdam sibi satis notabiliter molestum, quem ideo nobis, vel coram, vel per maritos, exposuere. Pensitavimus hoc phaenomenon, & subsequentibus annis pluribus vicibus annotavimus, explorantes id ipsum è maritis vel foeminis ipsis, sicut tulit occasio. Dumque scriptionem hanc hucusque meditati sumus, idem nobis testatæ sunt plures personæ. In specie vero civis hic loci honestus nos certiores fecit, quod uxor sua, sex liberorum mater, semper circa imprægnationis initia ad trium hebdomadam spatium frequentius solito urinam reddere opus habuerit. Idem paucis abhinc diebus confessa nobis est honestatis pariter laude conspicua foemina, quæ jam duplici prole maritum exhilaravit, & in præsentis tertia vice duas circiter hebdomadas se gravidam esse è duobus hisce phaenomenis judicat: quod appetitus carniùm fere nullus, sed saltem panis butyro illiti, stimulusque frequentior paulo ad emittendam urinam, quam præcedentibus hebdomadis, adsint. Solet hæc frequentior ad vesicam exonerandam irritatio primis tribus vel quatuor graviditatis hebdomadis potissimum observari, in aliis levior, in aliis vero fortior; postea vero sensim eadem evanescit, uti quidem nobis annotare licuit.

§. VII. Proponimus hocce circa praxin nobis enatum, & novum fere visum, graviditatis inchoatæ signum, eum potissimum in finem, ut medici ac mariti ad idem impoſterum attendere dignentur, sique idipsum universale deprehenderint, inter conceptionis factæ signa referre velint. Verisimile enim videtur, phænomenon hoc in omnibus foeminis paucis post conceptionem diebus se exerere, licet hætenus a paucis forsan medicis fuerit annotatum. Dantur enim sæpe in rebus tam physicis quam medicis obvia phænomena, & quotidiana, quorum tamen quandoque non conveniens fit annotatio, vel attentio.

§. VIII. Est porro signum allegatum tale, quod statum uteri, post conceptionem immutatum, prompte consequitur, atque è principiis Physiologicis & Anatomicis lubentissime fluit. Neminem enim vel leviter in Anatomia versatum fugit, quod pars uteri anterior superne cum vesica cohæreat, & quod sphincter vesicæ orificio uteri interno fere sit superpositus, quamvis hoc nonnihil retrorsum inclinet. Dum igitur à foecundo liquoris masculi contagio, seu spiritu, hætenus compacta satisque firma uteri substantia rareſcit, ejusdemque cavitas pro recipiendo novo amicoque hospite expanditur, aliter fieri non potest, quin, propter arctam cervicis matricis cum urinaria lagenula per fibras membranaceas connexionem, vasculum hocce ad sui corporis contractionem subinde, & frequentius solito, sollicitetur, & , per consequens, frequentior ad mingendum stimulus adsit, quam iisdem non foetis. Cessat autem post lapsum duarum, trium, quatuorve hebdomadum frequentior hæc ad mingendum irritatio, quia proveciori graviditatis tempore uterus magis quoad partem mediam, sive corpus, atque fundum, versus ilia, regionem hypogastricam & umbilicalem expanditur, unde stimulus vesicæ sphin-

cteris

teris deficit, mole uteri in altiorem locum se recipiente; vel si forsan aliqualis lenisque remaneat, natura istius assveta eundem perferre discit.

§. IX. Facile vero patet hucusque expositum frequentiore ad mingendum stimulum, primo mense in gravidis contingentem, utique differre ab ista vehementi ad urinam reddendam irritatione in iisdem, quando foetus longius paulo tempus partus medium transgressus, uno verbo partui proximior, aliquando ita importune vehementerque in suo ergastulo commovet artus, ut hi versus vesicam cum impetu propulsi eandem comprimant, & contra matris voluntatem liquorem obscenum ematula microcosmica expellant; vel ipse uterus, quietus licet, in quibusdam foeminis mole sua, magis deorsum vergente, vesicam angustiore reddat, adeoque frequentiori urinæ excretioni occasionem præbeat.

§. X. Aliquod observationis vestigium, cum nostris experimentis quodammodo conveniens, legimus apud ANTONIVM MOLINETTVM *Dissertat. Anatomico-Patholog. L. VI. c. 7. p. m. 304.* ubi adserit, quod foetantes mulieres, iisdem ipsis non prægnantibus non solum sæpius, sed multo etiam copiosius mingant. Ast ingenue fatemur, commemoratum à nobis ad frequentius mingendum stimulum primis tribus, vel quatuor saltem graviditatis hebdomadis, observatum fuisse, postea vero evanuisse. Neque etiam cum laudato Italo audemus pro certo adstruere molem urinæ excretæ in gravidis longe copiosiore esse, quam iisdem non foetis: cum nondum evictum sit, foeminas utero gerentes majorem potententorum copiam adsumere, quam extra imprægnationis tempora. Multo minus dicto Autori subscribimus, dum retur, foetum in utero parum, vel nihil prorsus urinæ secernere, sed renes matris duplici eo tempore munere perfungi,

imprimisque id agere, ut necessitati utriusque corporis, foetus videlicet & matris, eorum actio respondeat. Hanc enim assertionem jam dudum celeberrimus BERGERVS *Physiolog. Med. L. 1. c. 13. p. 207.* ex hac potissimum ratione maxime reddidit dubiam, quod nihil à foetu ad matrem reveli possit, vel hoc experimento teste, quod liquor siphone per arterias umbilicales injectus per venam umbilicalem redeat, modo placenta fuerit illæsa; ad quod experimentum non minus provocare videmus Cl. FRIDER. HOFFMANNVM *Medic. Rational. Systemat. Tom. I. p. 346.*

§. XI. Satis dictum esto de stimulo ad frequentius emittendam urinam in gravidis, tanquam signo conceptionis non pridem factæ una cum aliis merito sociando. Invitat nos nunc aliud signum postessentiale graviditatis ad sui considerationem, & pensitationem intimiorem. Est hoc urina coloris spicei vel straminei, aut citrei remissioris paulo, cum sedimento, vel potius enæoremate seu suspensione, non nihil ad fundum declinante, instar lanæ tenuiter carptæ urinæ innatante. Deterrere equidem à proponendo signo hocce facile nos potuisset monitum Cl. in arte salutari Virorum, FORESTI, CORDI, MINDERERI, SCHEFFERI, BERGERI, aliorumque, quod scilicet vir gravis atque honestus se non facile urinarum inspectioni dedere debeat, præsertim, cum alia signa non desint, è quibus morbi, corporisque indolem rectius cognoscamus. Verum enim vero licet prudenti huic monito omnino subscribendum esse putemus: attamen & nobis largiendum esse arbitramur, quod ad dignoscendam œconomiam animalis rationem maxime dubiam omnibus signis, collective sumptis, opus sit; idque in statu graviditatis, sæpe admodum dubio, quam maxime quoque locum habeat. Plusculis nempe, ut in viam, à qua discessimus, revertamur,
ab-

abhinc annis Practicus quidam veteranus, ac celeberrimus, signum hoc nobiscum communicavit, simul fidem suam interponens, phænomenon hoc se rarissime in dignoscenda gravitate fefellisse. Adhibuimus igitur subsequenter annis id ipsum in casibus dubiis, ita tamen, ut ad reliqua quoque signa, & ex his maxime ad mensium emanationem, abdominisque augmentum attenderimus, & semper prædictio respondit eventui. Cum enim urina descripta non admodum multum à facie urinæ naturalis abeat, sed saltem innuat, factam esse leviolem quandam mutationem circa coctionem primam, s. chylicationem, quin & secundam, s. sangvificationem; ideo, reliquis graviditatis signis præsentibus, eo magis eandem indicat, & statum cachecticum, vel obstructionem mensium morbosam, adesse negat.

§. XII. Nullo modo vero signum hocce ab urina desumptum pro novo quodam invento venditamus, paulo post enim ac idem nobis tanquam egregium commendatum erat, legimus in *illustris nostri WEDELII supra laudata dissertatione p. 19*, quod ipsum jam suo tempore EBNSINA s. AVINCENNA commemoraverit, atque ex eodem JO. GVINTHERVS ANDERNACVS *de med. veter. & nova comment. 1. dialog. 1. p. 514.* sequentibus verbis descripserit: Urinæ farinæ similes in ægrotis longæ valetudinis adversæ indicia; in gravidis tamen etiam sanis observari possunt. Quippe nonnulla tenui farinæ aut amylo similia in illarum urinis, etiam cum bene valent, innatant, in quibus, dum quietæ servantur, crassius aliquid lanæ tenuiter carptæ instar in imo subsidet, vel in medio hæret, quod conceptum indicat, ut sæpe sumus experti.

§. XIII. Ex hæctenus dictis prompte fluit, urinæ considerationem in gravidis non penitus negligendam, sed reli-

quis quoque lignis merito sociandam esse, in casibus maxime dubiis, & ubi mensium obstructio morbifica loco veræ impregnationis à foeminis, illicita venere usis, prætenditur, vel conceptio alias ignoratur. Solet enim urina in foemellis, per aliquot mensium spatium obstructionem præternaturalem tributi lunaris passis, vel aquosior, vel teste LOMMIO *Observ. L. 2. p. 274.* crassa, turbida, rubicunda, & interdum nigricans observari. Præterea sibi de graviditate ex impuro coitu contracta male consciæ sapiuscule medico liquorem obscœnum exposcenti eundem exhibere denegant, & hoc ipso se magis suspectas reddunt, vel intuenti, & de graviditate pronuncianti corporis sui statum cum nimis sero pudore profitentur.

§. XIV. A phænomenis, circa urinæ excretionem, ejusdemque statum in gravidis occurrentibus, & tanquam signis conceptionis factæ simul adhibendis, meditationes nostras ad placentam uterinam dirigimus. Pro certo vero ponimus incertam esse hujus substantiæ sedem, eandemque non solum matricis fundo lateribusque, sed & cervici, uterique ostio adnasci, præsertim, postquam id ipsum Cl. Anatomici, *Magnificus* scil. noster SLEVOGTIVS in *programme de incerta placenta uterina sede, dissertationi Inaugurali de Tenesmo D. D. Pillingii annexo, atque Excell. SCHACHERVS in dissertatione Inaugurali Dn. Seyleri de placenta uterina morbis, observationibus omni exceptione majoribus clarissime evicere; idem non minus confirmantibus Excellentissimis Viris WELSCHIO atque HEISTERO, in tabulis & compendiis suis Anatomicis.*

§. XV. Observationes, quas diversa hujus substantiæ sedes nobis in praxi suppeditavit, sunt sequentes: Duabus honestissimis foeminis diversis temporibus à consiliis medicis fuimus,

mus, quarum una sexies, altera vero bis uterum gesserat. Utraque quidem mihi exponebat mensium emanationem, sed querebatur simul de tumore, & aliquo gravativo dolore, versus regionem pubis magis vergente, qui tamen tumor sibi olim gravidis altiori loco confederit: verba earum erant: *Es wäre ihnen nicht also / als da sie ehedessen schwanger gewesen; Es läge ihnen so in der Schooß / und auf denen Beinen / würde ihnen so sauer / wenn sie eine Treppe steigen sollten.* Quid? quod utraque ob disparia à pristina graviditate signa se non gravidam esse pronuntiabat, sed symptomata dicta, vel à mensium obstructione morbifica, vel molæ præsentia dependere autumabat, atque medicamentata menses molamve expellentia, corpusque ab imminente graviore morbo vindicantia querula expetebat. Ast perpendentes utrasque juvenes, non male coloratas, atque mariti vegeti consuetudine uti, vere gravidas easdem esse judicavimus, & tempus gestationis medium patienter expectandum svasimus, quod omne dubium certissime esset dirempturum, in spem & solatium interea temporis mixturam ex Essentiis lign. aloes, cinnamomi, & cort. citr. essentificatis compositam, vel pulverem absorbentem & simul aromaticum exhibentes. Medio mensis quinti ambæ motum foetus legitimum primum sentientes lætabundæ nobis exponunt, eventum prædictioni nostræ respondere, offertque junior urinam, quæ talis erat, qualem supra sanis gravidis competere innuimus. Completo gestationis tempore altera, quæ jam sexies enixa erat, obessor, ac carnosior, foetum excludere sustinet, sed deficient dolores necessarii. Quare positu foetus legitime se habente, ostioque uteri jam sufficienter hiscente, hora ante meridiem decima, vel undecima, vocati offerimus pulveris pro partu promovendo duo præbia, duarum horarum intervallo adsumen-

da : unde tandem his assumtis hora quarta pomeridiana puellus carnosus ac vegetus prodiit ; ast avulsio placentæ obstetrici nostræ, hic loci veteranæ & exercitatissimæ, multum facessebat negotii : parti supernæ enim cervicis uteri firmiter ista adhærebat, quare manui obstetricis supra os pubis ad placentam accessus erat perdifficilis. Atque plane eandem jejocoris hujus uterini sedem in altera observavimus ipsi, quippe quod, laboribus obstetricis non ex voto fluentibus, separare cogebamur.

§. XVI. Circa indigitatum autem placentæ uterinæ locum eo nostræ vergunt meditationes : annon idem disparium à pristina graviditate signorum circa initium gestationis possit non raro esse causa. Dum enim placenta uterina cervici uteri, ceu loco decliviori, adnascitur, necessario primis mensibus foetus ipse ob funiculi umbilicalis brevitatem eo inclinatur, & per consequens tumor, & aliquale pondus magis circa regionem pubis eminent, observaturque, quam isto fuit graviditatis tempore, quo hepar uterinum altiorem in matrice occupavit locum. Admonent vero simul ejusmodi observationes medicum, ut cautissime in dignoscendis gravidis, primis potissimum mensibus, procedat, cum sæpe foeminæ ipsæ nesciant, quid intra viscera sua agatur, & per consequens facile, tum semet ipsas, tum medicos, decipere possint.

§. XVII. Considerationem diversæ placentæ uterinæ sedis, disparitatem quandoque signorum graviditatis à pristina foeminarum foetarum conditione parientis, excipiat ruspatio corporis istius glandulosi lutei in ovario, ad secessum ovuli imprægnati ex eodem multum facientis, quod REGNERVS DE GRAAF. *Tract. de organ. genital. mulier. c. 14. p. m. 245.* MALPIGHIVS *in epistol. Dissertatione de utero ad Cl. Sponium* ; RVYSCHIVS *in observ. de ovo in utero humano reperto,*
inserta

inserta Tom. I. Bibliotheca Anatomica. BOHNIVS *Circ. Anatom. Progymn. I.* BERGERVS *Physiolog. Med. p. 475.* & JO. MAVRITIVS HOFFMANNVS *Idea machine humane sect. 12. p. 91. seqq.* diversa licet quodammodo ratione, describunt.

§. XIIX. De hujus corporis, vulgo glandulosi dicti, generatione inter celeberrimos Physiologos atque Anatomicos diversa alitur sententia. Cl. enim BOHNIVS atque *Excell.* JO. MAVRITIVS HOFFMANNVS, secuti GRAAFIVM, statuunt, id ipsum non nisi prævio coitu foecundo generari: Cl. vero BERGERVS, MALPIGHII vestigia premens, negat, quod corpus hocce congressus demum foecundi, sive conceptionis effectus sit, sed adstruit potius, ipsum hanc longe antecedere, ovique veri generationi non præesse modo, verum etiam idem fovere, atque excludere. Uniuscujusque opinionis fautores eandem observationibus & rationibus firmare student. Cl. BERGERVS quippe *l. c. p. 458. seqq.* potissimum verbis hypotheseos suæ defensionem suscipit: De quo quidem corpore illud vero simillimum videtur, idem è prædictis illis vesiculis, quæ quovis tempore in ovarii luxuriant, & pro ovulis vulgo habentur, excitari, initioque exiguum admodum esse, tractu vero temporis in eam excrecere molem, ut totam fere ovarii capacitatem plerumque occupet: Nam illarum vesicularum non unam tantum, & alteram, cui lutea isthæc & glandulosa substantia graminis instar adnascebatur, in vitulis junioribus laudatus modo Italus observavit, sed etiam in vaccis, atque animalibus aliis, quorum tamen foetus tam multiplex non est, nec raro in uno eodemque ovario plura lutea hæc corpora inæqualis magnitudinis annotavit, quamvis nulla superfoetationis adfuerit suspicio, qui vid. pl. Quod vero Cl. BOHNIVM spectat, hic intrepide

pide *l. c. p. m. 19.* perspicuis verbis adserit : se nunquam in diversis, tam humanis, quam brutorum subjectis, nisi à coitu excrementiam illam observasse : paucisque verbis interjectis inquit : pariter quos uteros vaccinos, & ovillos hujus rei experiundæ causa hæctenus lustravi, horum non imprægnatorum testiculos glomis hisce glandulosis vacuos, foetorum vero illius tantum lateris, cujus cornu foetum gerebat, testiculum uno, effoeto tamen (i. e. ovulo orbo) instructum vidi, hinc ordinarie non nisi coitus proliferi productam substantiam hanc auguror. Cum his BOHNII observationibus exacte respondent à celeberrimo HOFFMANNO *l. c.* annotatæ, qui ibidem simul injicit mentionem sectionis foeminæ, per quatuor mensium spatium foetum in utero gerentis, ex submersione desperata in Pegnesum flumen vita defunctæ, in cujus ovario sinistro ejusmodi invenit excrementiam glandulosam pressulæ rotunditatis, leviter adhærescentem, ita, ut sponte separari potuerit.

§. XIX. Ea vero, quæ circa dictum corpus glandulosum in dissectione uterorum gravidorum observare nobis integrum fuit, sunt sequentia, atque cum observationibus Graafianis, Bohnianis, ac Hoffmannianis maximam partem conveniunt. In ovariiis quippe vaccarum foetarum semper in isto latere excrementiam glandulosam luteam invenimus, in cujus lateris cornu foetus vaccinus hæsit, eamque eo majorem, quo minor fuit foetus, eo minorem vero, quo hic major extitit, ac partui proximior. Demonstravimus etiam aliquot vicibus solertissimis nostris auditoribus cicatricem in summitate dictæ substantiæ protuberantem ; soluta vero cicatrice, stylo, globulo instructo, in cavitatem quandam, pisi majusculi capacem, penetravimus. In canum vero foemellarum gravidarum ovariiis numerus glandulosorum corporum re-

spondit

spondit numero in cornibus degentium foetuum. Nec minus in trium puerperarum, in ipso partu extinctarum, foetusque mortuos intra matricem adhuc continentium, ovariiis, (cujus unius corpus, id ipsum non nihil balsamandi fine, reliquarum vero duarum cadavera, curiositatis chirurgicæ & medicæ ergo, incidere nobis concessum fuit) substantiam quandam spongiosam luteam rotundam, ad instar papillæ cum cicatricula protuberantem, clarissime observavimus, & circa unius sectionem pluribus adstantibus medicinæ alumnis conspiciendam præbuimus. Quid? quod in ovario infanticidæ cujusdam, quod è donatione *Magnifici & venerandi nostri SLEVOG-TII* tredecim abhinc annis possidemus, cuius curioso spectatori substantiam hancce, cerasi majoris magnitudinem habentem, demonstrare valemus. Porro annotavimus in vaccarum ovariiis, tam istis, quæ turgida erant hæctenus descripto corpore glanduloso, quam eodem vacuis, portiunculas quasdam parvas subluteas, notabiliter duriusculas, quas pro contabescentibus, & contractis corporibus glandulosis, olim veris, habuimus, & adhuc habemus. Ad quam sententiam nostram confirmandam maxime faciunt verba *Cl. BERGERI l. c. p. 457.* Namque hic notari refert, eam glandulam ita paulatim contrahi, & minui, ut tandem vix aliquod ejusdem vestigium extet. Id quod in aliis citius, in aliis tardius contingere à ratione minus abhorret. Hucusque Bergerus. Naturæ enim in more positum est, partibus, officio suo circa hominem nascendum functis, sensim sensimque nutrimentum debitum subtrahere, unde necessario imminui, & contabescere easdem oportet, exemplo manifestorum venæ & arteriarum umbilicalium canalium, brevisque tubi arteriosi, inter arteriam pulmonalem & aortam descendentem siti, quippe quas partes in ligamenta, satis tenuia & impervia, successu temporis abire conspiciamus.

§. XX. De origine & usu itaque excrescentiæ glandulosa intimatæ summa sententiæ nostræ, utpote phænomenis circa eandem consurgentibus conformior, est: quod equidem prima stamina, tanquam radices ipsius, in ovariis lateant, atque ovulo, ad maturitatem usque, per connexa vascula nutrimentum conveniens adducant, non prius tamen oculis, non armatis, eadem sub specie corporis rotundiusculi ac lutei ordinarie compareant, nisi à prævio coitu, quippe post quem à virtute expansiva seminis generosi masculi minima hujus substantiæ moles admodum læte & expedite, paucorum dierum spatio, ad maxime notabilem magnitudinem succrescit, papilla sua magis magisque extuberat, ambientemque ovarii tunicam paulatim emollit atque perfodit, retractaque sensim fibrarum motricium contractione sinum suum aperit, & per hujus ovarii hiatum ovulum, propter magnitudinem & maturitatem ad egressum ex ovario paratum (adjuvante, per dicta, niduli hujus fibrosi constrictione, qua contracta avulsaque vascula, à quibus illud pender, sine ullius effusione succi idem dimittunt) in oviductum expellit & protrudit, uti quidem nobiscum ita arbitrantur Cl. GRAAFIUS, atque ex parte *celeberrimus* BERGERVS. A cujus posterioris tamen sententia in eo recedere nobis liceat, dum, p. 465. præsertim, judicat: ovulum summe maturum à solo æstu venereo, & inde dependente ovarii & glandulosæ excrescentiæ fibrarum motricium contractione, applicationeque tubarum Fallopiarum ad ovaria è sede sua expelli, & citra concursum ordinarium & actualem seminis masculi ad ovulum, in ovario contentum, adeoque ex mente ipsius, conceptionem, s. ovulorum foecundationem, non in ovariis fieri, sed potius in utero, postquam ovula ope oestri venerei eo fuerint delata, & semine masculino undique ibidem conspersa. Ex hocce vero phæno-

meno hypothesin suam probabilem reddere gestit Cl. Autor; quod per sola veneris ludibria, & fricatricum salacitatem ova interdum subventanea citra prævium coitum fuerint excreta, idem annotantibus KERCKRINGIO, atque BOHNIO. Ast sicuti talem ovuli non fœcundati deportationem in uterum raro, & certis saltem sub circumstantiis, evenire, ipsius adsertores ultro fatentur: ita *Excell. BOHNIVS Circ. Anat. Progymn. I.* hujus phænomeni hanc subesse rationem suspicatur, quod aliquando in ejusmodi subjectis lascivis sibi relictis similis substantia lutea generetur, quatenus vel a stimulis venereis intrinsicis, vel extraordinario sanguinis & succi genitalis orgasmo exagitationem intestinam & secessionem portionis lymphaticæ unius alteriusve ovuli è mente sua, imprægnationis motui similem, contingere, non impossibile sit. Quam maxime vero hypothesi Bergerianæ contrariari videntur istæ aliquot Cl. Anatomicorum observationes, quibus constat, quod post coitum demum ordinarie alteratio quædam in ovario, & in eodem ovulum, corpore glanduloso luteo opaco circumdatum, ab iisdem fuerint conspecta. Per consequens semen masculinum opus habuit ad ovarium ipsum penetrare, ut mutationem istam ibidem perficere potuerit. Observatio egregia est, quam hoc de negotio habet solertissimus organorum genitalium muliebrium ruspator REGNERVS DE GRAAF. l. c. in Tract. de hac materia, quæ ut integra huc transcribatur, mereri videtur: Brevi namque post coitum ovarum tunicas, quæ antea diaphanæ erant, opacas devenire conspicimus, multisque sanguineis vasis adornari, & postero die post opacitatem illam conspectam inter dictas ejus tunicas glandulosam quandam materiam, totum ovum involventem, globulique figuram repræsentantem, intueberis, quæ sensim accrescens ovum undique comprimendo, illud tandem

per foramen, quod in cuniculis tertio post coitum die, in ovibus, vaccis, aliisque majoribus animalibus, quæ diutius uterum gerunt, tardius evenit.

§. XXI. Dum igitur hucusque prolixè satis in exponendis & recensendis observationibus & meditationibus de corpore luteo ovarii, tum aliorum Auctorum, tum nostris, occupati fuimus, manu quasi ducimur ad considerationem novi ovarii quibusdam dicti, h. e. racemi, vel congeriei vesicularum quam plurimarum, intra uterum & circa internum ejus orificium, ac cervicem, juxta aliquot Auctorum observationes, reperibilem. Abiere sane Physiologi & Anatomici circa usum hujus corpusculi globosi adsignandum in diversas opiniones, dum alii, ut *BARLIVS dans les Nouvelles decouvertes*; *ORTLOBIVS, in Historia Part. & oeconom. animal. Dissert. XXXIV*; & *LITRIVS dans les Memoires de l'Academie Royale des sciences, teste MORGAGNO in Adversar. Anatom. p. 37.* eadem pro hydatidibus habuere; alii, è quorum numero ipse *MORGAGNVS* atque *VERHEYENVS*, pro glandulis liquidum glutinosum secernentibus, quod in gravidis uteri orificium claudit; alii, ut *Cl. HEINRICI, in Dissert. de vesiculis seminalibus mulierum*, pro conceptaculis, vesicularum seminalium virilium vicem sustinentibus, sive semen proliferum profundentibus; alii vero, sicuti jam innuimus, pro veris novisque ovulis mulierum, in quibus ipse foetus formaretur. Posterioris hypotheseos inventor est *Cl. Professor atque Anatomicus Lipsiensis D. NABOTH*, qui in *dissertatione de sterilitate mulierum Ao. 1707. Lipsiæ ventilata* eandem è situ commodiori harum vesicularum ad foecundationem præ ovulis in testibus muliebribus reperiendis, conformatione earundem plane singulari, ac determinata, dum placentam, tunicas, humores, embryonem atque vasa, ceu partes ad foetus

tus

tus productionem necessarias, continerent; ordinariorum ovariorum statu scirrhoso, & defectu ovulorum in iisdem, obstructione tubarum Fallopiantarum, conceptione tamen nihilominus facta, adstruere summopere annisus est. Ast licet ad cuncta hæcce argumenta jam tum à non paucis pererudite responsum fuisse doceat, ut putamus, *Epistola Problematica Excell. Professoris Lipsiensis MICHAELIS ERNESTI ETTMULLERI, de ovario novo ad Cl. RVYSCHIVM perscripta, hujusque ad eandem responsio, Adversarius Anatomico-Medico Chirurgicis, Anno 1717. editis, inserta no. 2. p. 4. de ovario, ut habeatur novo & de hydatidibus plura.* Nihilominus tamen dantur adhuc Cl. quidam Medici, qui ovaria duo nota, & hucusque à celeberrimis Anatomicis unanimi consensu pro veris habita, in dubium vocare, & ovarium Nabothianum vel ipsis ceu commodius substituere, vel tamen ovulorum in ovario antiquo defectum idem abundantissime restituere & supplere sustinent. Sententiæ hujus Patronum egregium reperimus celeberrimum Consiliarium Regium & Professore DN. FRIDERICVM HOFFMANNVM in *Medicina Rationalis systematica Tom I. p. 341.* quippe qui sequentem in modum differit §. 14. : Vulgo habitum ovarium an vera ovula generationi apta contineat, nondum res satis plana ac perspicua est. Et §. 15. Verisimilior eorum apparet sententia, qui ovarium intra uterum & circa internum ejus orificium ac cervicem constituunt, ubi utique racemus innumerorum ovulorum semper conspicitur, quæ & facilius semine virili foecundari & à compedibus liberari possunt. Rationes vero dubitandi ipsi sequentes sunt: 1) Quod ratio neutiquam adsequi possit, quomodo vesiculæ ovariorum foecundatæ à firmo membranarum involucro, cui altius insident, sine insigni læsione & erosione ovarii & extravasatione humorum se liberare possint. 2.) Nullo modo concipi pos-

fit, quomodo ovulum ab ovario liberatum per canales Fallo-
pianos, ultra duos transversos digitos ab ovario distantes re-
cipi, & ad uterum provolvi queat. 3.) Non intelligatur,
quomodo genitura virilis per solidum uteri corpus, vel tubas
clausas commode ad ovarium & ovulum salva sua textura per-
venire, idque fœcundare possit.

§. XXII. Liceat igitur nobis Excellentissimo huic, aliisque
ovarii novi fautoribus & adfertoribus ad tria hæc argumen-
ta responsiones quasdam, non lascivo contradicendi studio,
quippe à quo alienissimi sumus, sed veritatis indagandæ amo-
re modeste proponere 1.) enim ovariorum s. testium mulie-
brium involucrum membranaceum tam firmum non est, quin
idem ab ipsius ovuli maturi & corporis glandulosi lutei mo-
le ita attenuetur, ac expandatur, ut tandem in summitate sen-
sim perfodiatur, ovulumque placide & sine effusione humo-
rum dimittat. Quorsum apprime præter supra à nobis expo-
sita, & sedem ovuli exclusi in ovariiis perspicue adferentia, fa-
ciunt verba REGNERI DE GRAAF l. c. Foramen, inquit,
per quod ovum expelli diximus, ante glandulosam globulo-
rum substantiam frustra quæsieris, quandoquidem immediate
ante & post ovi expulsionem tantum appareat, cum aliqua
prominentia, quam præ similitudine non inepte papillam no-
minaveris, cujus foramen pro animalis magnitudine variat;
stylum in vaccis, in cuniculis vero tantummodo setam ad-
mittit. Neque 2.) magna difficultate premi arbitramur ad-
sertionem, qua tubas Fallopianas, licet non nihil ab ovariiis
distantes, ovulum ad secessum è sede sua pronissimum excipe-
re & ad uterum devolvere perhibetur: modo cogitemus à
Cl. RVYSCHIO in muliere, brevi ab imprægnatione inter-
empta, partem tubæ proboscidis instar ad ovarium tortam, ut
maturum exciperet ovulum, visam & demonstratam esse *in*
obs.

obs. de ovo in utero humano reperto. Quemadmodum enim membrum virile extra veneris appetitum pendulum, flaccidum atque breve observatur, tempore vero œstri veneri elongatur, attollitur, ac rigidum fit: ita non videmus, quid obstet, quo minus tubæ Fallopiianæ, (licet diversissima sit horum canalium & penis structura) laxius cum ligamentis uteri latis cohærentes, elongentur quasi, proximius ad ovaria accedant, eadem ornamentis suis foliaceis amplectantur, & hiantibus veluti faucibus ovula matura, si quædam adsint, excipiant, motuque peristaltico fibrarum suarum in uteri cavum deinceps sensim devolvant? Omnem denique circa generationem animalis ex ovo, in testibus muliebribus reperiundo, dubitandi occasionem præcidere videtur elegans illud NVCKII experimentum, à Bergero l. c. p. 457. quoque commemoratum, quo ille in cane fœmina tertio post congressum die extraxit per vulnus, abdomini inflictum, sinistri lateris cornu, cujus ovarium jam duobus ovulis majusculis notabiliter conspicuum vidit, idemque deinde inter ovarium & vaginam, medio loco ligatura arctiori constrictum, reposuit, ac vulnus obligatum intra octiduum ad cicatricem perduxit. Vigesimo primo vero ab injecta ligatura die canem secuit, & cornu sinistri partem, ligaturam inter & ovarium, duplici obseffam fœtu, alteram vero partem, ligaturam inter & vaginam, vacuum & inanem deprehendit. Deniq; non opus est, ut de viis, per quas semen masculinum ad ovarium & ovula, salva sua textura, pervenire, hæcque fœcundare possit, multum laboremus. Sunt enim foramina tubarum Fallopiianarum circa ingressum in uteri cavum in statu naturali minus occlusa, adeo, ut tam circa uteros humanos, brutorumque cornua, statum in corporum horum cavitates injectum, ex iisdem in tubas, & ex his vice versa in uterum, vel cornua, prompte aliquoties penetrasse

trasse observaverimus, id quod etiam feliciter successit, quando vel hydrargyrum, vel Tincturam croci sandalive in tubas Fallopianas injecimus. Præterea è singulari in observando dexteritate & industria Cl. FRIDERICI RVYSCHII patet, quod semen masculum, quoad substantiam crassam quoque, in coitu non solum in uteri cavum, sed & in tubas Fallopianas usque penetret, & evibretur. Curiosissimus enim hic Anatomicus in *Adversariis Anatomico-Medico-Chirurgicis* l. c. mentionem injicit dissectionis uteri & tubarum Fallopiarum meretricis pulcherrimæ, ab amasio suo statim post coitum interfectæ, quarum partium cava semine masculo, albo, bono & naturali referta deprehendit. Idemque spectaculum olim se vidisse perhibet in cadavere mulieris cum adultero deprehensæ in adulterio, statimque à marito deprehensore interfectæ, ut descripsit in *Thesauro Anatomico*, quem ordine Vto evulgavit. Cum igitur semini, à viro ætate viribusque valente evibrato, usque in ipsas tubas promptus accessus pateat, nihil morabitur spiritum ejusdem generosum, s. auram vitalem subtilissimam, quin expedito itinere usque ad ipsa ovaria migret, ibidemque ovulum maturum foecundet, sive motum vitalem in eodem excitet.

§. XXIII. Ex argumentis, quæ Cl. NABOTH pro confirmando ovario novo in medium producit, maxime stringens esse videtur, quod conceperint atque pepererint foeminae quædam, quarum tamen testes omnibus ovulis, s. vesiculis, fuerint destituti, & loco horum corpusculorum vel pingvedine, pilis, aut duritie scirrhusa obsessi: nec non quod orificia tubarum fuerint clausa reperta. Equidem de dexteritate observandi optimi viri dubitare nefas ducimus, sed merito observationibus fidem habemus. Hoc tamen momentum pensitandum proponimus: an non in ovario, vel dextro, vel

sinistro, eo tempore, quo facta fuit conceptio, unum alterumve sanum, & ad foecundandum aptum ovulum hæserit, ac status præternaturalis descriptus, tum respectu ovariorum, tum utriusque tubæ, integro graviditatis spatio vel oriri, vel potius augeri potuerit. Ut adeo minime inferri queat, quod foetus in ista puerpera, cujus mentionem fecit DN. D. NABOTH, in nullo ovulo, quod hæserit intra testes muliebres, fuerit formatus. Ast jam dudum Anno 1708. D. D. CHRISTIANVS FRIDERICVS BVTTIGER in dissertatione Lipsiæ ventilata, in qua foetum non ante conceptionem, sed post eandem, formari docet, argumentum hocce publice discussit, ut adeo plura addere prorsus supervacaneum censeamus.

§. XXIV. Celeberrimorum igitur Anatomicorum observationibus, his de vesiculis annotatis, probe trutinatis easdem vel cum BARLIO, ORTLOBIO, LITRIO atque RVYSCHIO pro hydatidibus habemus; vel cum VERHEYENO, MORGAGNO atque HEISTERO *in Compend. Anat. p. 59.* pro glandulis vel vesiculis, humorem glutinosum secernentibus, qui in gravidis uteri orificium claudit; puta, postquam horum corpusculorum globosorum præsentia in omnibus subjectis sanis, justæque ætatis, erit demonstrata. Cl. RVYSCHIVS, qui se in exponenda partium genitalium structura non parum exercuit, *l. c. obs. 2. p. 4.* hac de re ita pronunciat: Profiteor igitur palam, plurima me cadavera foeminina, eaque variæ valde ætatis, incidisse atque intento perlustravisse animo & oculo, neque tamen unquam in cavo uteri vidisse aliquid, quod ulla omnino specie ovarium verum referret. Quare tandem p. 7. concludit, ovarium fictum Nabothianum fuisse modo hydatidum inter rugas valvulosas os uteri internum obsidentes natarum congeriem.

Hydatides autem hujusmodi, ut in omni morbo lento partes quascunque occupant, ita viscera præprimis infestare interiora observantur frequentissime. Ego vero censeo, hydatides esse extremitates vasorum sangviferorum, quæ priorem suam mutaverunt naturam, atque in vitiosam degenerarunt fabricam.

§. XXV. Ovarii Nabothiani considerationem excipiat breve tunicarum, foetum humanum in utero ambientium, atque funiculi umbilicalis examen. Satis enim notum est, quanta ad hunc usque diem inter Cl. Anatomicos atque Physiologos de hisce partibus vigeat disceptatio, dum scilicet plurimi duabus saltem tunicis, chorio nempe atque amnio, foetum humanum in ergastulo uterino includi, nullam vero allantoidem, inter tunicas dictas mediam, atque tertiam constituentem, nec urachum pervium in funiculo umbilicali adesse perhibent. Alii contra, è quorum numero quam maxime NEEDHAM, GRAAFIUS, BIDLOO, MVNNICKS aliique, contrarium adserunt, partim, ut putant, experientia propria, partim hoc potissimum argumento permoti, quod inter tunicas foetuum quorundam brutorum, ut vaccarum & ovium cumprimis, tunica quædam farcimini maximo similis, & ideo Græce ἀλλαντοειδής nominata, sit reperibilis, quæ urinam foetus per urachum è vesica excipiat, & ad partus usque tempus asservet, cumque per consequens foetui humano eadem urinam excernendi incumbat necessitas, quæ brutorum foetibus, adesse etiam debeat tunica urinaria, ceu liquoris obscœni receptaculum, cum uracho pervio. Antequam autem mentem nostram clarius de hujus tunicæ existentia vel adserenda vel neganda exponamus, expromamus prius observationes quasdam circa dictas partes institutas. Perbene nempe recordatur D. Præses, quod hic loci in Theatro A-

natomico diversis temporibus duo cadavera foemina gravi-
 da, fato interempta, à *Magnifico Anatomia Professore* DN. D.
 SLEVOGTIO fuerint incisa, & se t. t. medicinæ alumno,
 aliisque quamplurimis commilitonibus præsentibus à Cl. Pro-
 fessore, inter examen tunicarum foetus, maxima cum sedulitate
 tunicæ urinariæ facta fuerit inquisitio, ast nulla talis tunica in-
 ter chorion & amnion media, foetum undiquaque cingens,
 urinamque asservans, inveniri & demonstrari potuit. Abso-
 lute etiam necessarium esset, si inter secundinas humanas da-
 retur allantois, ut urachus in funiculo umbilicali humano per-
 vius esset, ceu qui urinam illuc è vesica foetus deportare de-
 beret. Verum duplici experientia propria compertum ha-
 bemus, eum in uno subjecto statim circa fundum vesicæ pe-
 nitus occlusum, in altero vero vix ad digiti minoris transversæ
 latitudinem à vesicæ fundo pervium fuisse. Posterius phæno-
 menon licuit nobis observare d. 6. Novembris anni 1718. pro-
 xime elapsi in foetu masculino, è sartoris uxore laboriosissima
 operatione instrumentis extracto; prius vero ante aliquot an-
 nos in dissectione uxoris civis cujusdam hic loci in partu ex-
 tinctæ, ejusdemque foetus, in utero non minus vita privati;
 simul aliquot medicinæ studiosis spectaculum spectantibus.
 Injecimus quippe tubulo flatum in cavum vesicæ apertum,
 sphinctere interea accurate compresso, unde vesica quidem
 egregie fuit distenta, nullo modo vero urachus: cum tamen
 in vesicas foetuum vaccinorum propulsus flatus promptissime
 ex iisdem in urachos, & ex his in sibi continuatas allantoides
 progrediatur, easdemque propulsione continuata mirum
 quantum expandat. Nihilominus tamen nondum, nisi pluri-
 bus factis experimentis, tunicæ urinariæ & urachi pervii circa
 foetum humanum existentiam prorsus negamus; nec audemus
 cum RIOLANO, VESLINGIO, RVYSCHIO, aliis-

que pro infallibili adferere, quod urina in foetus vesica usque ad partus tempus asservetur. Licet enim eandem in duobus dictis subjectis, respectu proportionis in adultorum corporibus, utique majorem cum dictis Autoribus deprehenderimus, attamen urinæ copia ibidem collecta non adeo insignis fuit, ut inde concludere potuerimus, fuisse ipsius integram molem, formationis tempore congestam. Neque arridet nobis cum DRELINCVRTIO statuere, quod foetus in amnii liquorem mingat, eumque deinde ore resorbeat. Sed potius hæc talia cum *meritissimo & ornatissimo Professore BERGERO* in medio rerum nondum satis exploratarum relinquimus. Quam maximam vero pensitationem circa hoc negotium meretur perelegans observatio *Excell. SLEVOGTII*, qua constat, in puero bimo & in parturiente urinam ex umbilico profiliisse à se visam, cum in illo per urethram à calculo obstructam, & in hac à foetu in utero compressam, exitum non invenerit, sicuti recenset *Dissertatione de incontinentia urinae* p. 7. Præbet hæc observatio occasionem cogitandi de uracho olim pervio, & quod natura sui conservationi intenta viam pristinam reperit. Sed reservabimus tunicarum foetum ambientium, & ex his maxime urinariæ, nec non urachi examen ulterius alii, & quidem commodiori, occasione.

§. XXVI. Finem dissertationi nostræ imponat observatio de interni uteri oris, ejusdemque corporis maximam partem in partu prolapsu. Die nempe 31. Octobris anno 1716. vocabamur ad textoris uxorem, triginta annos natam, ut foetum mortuum extraheremus. Accedentibus nobis obstetrix & adstantes mulierculæ attonitæ statim exponebant: Fœminam maximo uteri prolapsu laborare & uterum gravidum magnam partem extra cunnū prominere. (Uteri vero prolapsu jam olim virgo affecta fuit.) Adspicientes summe monstrosam spectaculum, saccū membraneo-carnosum distentum referens, ob-

stu-

stupuimus; foetus situm vero inquirentibus legitimus idem occurrit, capite orificium uteri versus spectante facieque prona; nihilominus obstetrix eidem exitum parare nequivit, cum puerpera constrictione musculorum abdominis parum vel nihil ad foetus expressionem conferre potuerit. Capitis igitur cutim cerebrique involucria inter laxius cohærentia bregmatis ossa non æque difficili negotio solvimus, unde mollis cerebri substantia effluxit, quo facto caput forcipe firmiter apprehendimus, sicque, prout par erat, modice trahendo integer subsequeretur foetus. Inter operandum tum ipsi altera manu, tum obstetrix, uterum prolapsum ejusdemque os retinuimus: id ipsum enim tanquam necessarium ratio dictitabat, ne scilicet uterus vel longius extraheretur, vel periculosa ipsius inversio succederet, quippe ad quam eo tempore pronum esse *Excell. pariter Anatomicus atque Chirurgus R V Y S C H I V S, observ. Anatomico-Chirurg. centur. observ. 25. p. 32.* sequentibus verbis docet: In hoc statu foetus adhuc viventis exitum naturæ committendum esse, existimo, & os uteri utraque retinendum. Denato vero foetu totum negotium in eo consistit, ut una manu, quantum possibile est, extrahatur, & altera os retineatur, ne simul cum foetu prolabatur, & invertatur uterus, eo tempore ad inversionem pronus. Addendum vero huic præcepto putamus, quod obstetrix præter uteri retentionem, foetus adhuc viventis quoque egressum digitis & manibus suis omni modo, provide tamen, promovere teneatur, cum tali in casu puerpera parum, vel nihil, cohibitione spiritus ad foetus exclusionem conferre possit, nec tuto quoque debeat. Hoc enim si præstare potuisset nostra, propriis viribus foetum, legitime constitutum, atque minorem paulo, enixa esset. Pereundum tamen puerperæ nostræ tandem fuit, licet uterus post partum convenienter & blande esset repositus: febris enim superveniens ipsam, omnibus præfidiis irritis, die 11. Nov. exiit. Sed hæc jam pro instituto nostro sufficiant. Deo autem T. O. M. immortales agimus gratias pro præstito nobis auxilio.

DU stellst/ Geehrter Freund / der gan-
ken Welt ans Licht/
Was Dein besond'rer Fleiß ihm längst hat
aufersehen/ (verspricht/
Wovon dein Vaterland sich viele Frucht
Ich aber laß es ikt bey diesem Wunsch be-
stehen /

Es segne der Höchste dein stetes Beginnen/
Bis daß du erreichest die himlischen Zinnen.

Mit diesen wenigen wollte seine gebührende
Gratulation ablegen Dessen ergebenster

P. J. ELARDI, Golno-Pom.

MENS hominum errorum genetrix rimatur & hæret,
Num *cuncta ex ovo*, sive aliunde sient ?

TE natum ex cerebro, JUVENIS PRAECLARE ! Minervæ,
Ausibus eximiis asseris Ipse T V I S.

Hiscæ Præ- Nobilissimo atque Doctissimo Domino Re-
spondenti de edito specimine gratulatur

SERVATIVS SCHAD,

de Mittel Bibrac. Ulm.

CVM dederis specimen doctrinæ insignis & artis ;
Gratulor & cæptis annuat opto Deus.

Hæcce Prænobilissimo atque Doctissimo Domino
Respondenti gratulab. adjecit

JOAN. THEOPH. BONZIVS,

LL, Cult, Ulma-Svevus.

Quanta

Quantā sit ingenii *Tibi* vis ostendis, *Amice*;
Dum solide inquiris, quæ sit ratio generandi
Hinc lætabuntur, qui *Te* genuere parentes
Et merito *Patria spes exoptabilis* audis,
Denique *Musarum Mater Salana* decorem
Inde sibi capiet, *talem generasse peritum*
Artis sanandi Gnatum virtute cluentem,
Lætos ergo *Tuis* successus apprecor *ausis*,
Utque *Tuo* cedant mox præmia digna *labori*.

*Paucis hisce clarissimo ac eruditissimo Domino
Respondenti de egregio specimine gratulari, su-
amque amicitiam contestari voluit*

J. V. Hildebrand. v. s. L. C.

Nescit iners laudes quas dicat carmine *Musa*,
Cum *Tuus* haud una floreat arte vigor,
Abdita mox animo naturæ claustra sagaci
Quæris, & ipsius viscera mira vides.
Mox numeras hominum tristes in corpore nævos,
Quorum *Te* nec fons neve medela latet.
Ruptaque nunc herbæ tellure cacumina tollis,
Et vim *Paeoniam* *providus* inde *capis*.

Nunc

Nunc juvat intōrtis solviffe cadavera vinclis ;
Et sic in minimis Numina Magna vides !
Insolitas rerum cauffas & ftamina pofcis,
Nec fine fonte *Tibi* mundus uterque placet.
Hinc quid , quod magno dicas conamine, miror,
Ortus quis noſtri fonsque modusque fiet ?
Sic operâ quivis è matre in luminis auras
Miranda factus prodit, agitque diem.
Sed *Tibi* natales fimiles patet eſſe Minervæ,
Quæ Jove nata dea eſt, Pallade *Tuque* fatus.
Quî nunc abjectos poſſes depromere foetus,
Cum dotes hæ ſint, HENNENHOFERE ! *Tibi.*
Plauſibus hinc meritis auſus probat, atque ſacratas
Mox frondes Nato mittet Hygea ſuo.
Et dum civiles artem convertis in uſus,
Veſpillo flebit, triftiaque æra movens.

Sic gratulabundus ominatur

Jacob. Frideric. Baur.

LL. Stud. Ulm.

